

potest, an etiam stupra in fœminas & virgines hoc jure  
belli sint permissa? & hæc jure belli permissa & imper-  
missa dicit *Grotius de jur. bell. & pac. l. 3. c. 4. n. 19.* ubi  
tamen in sequentibus mitiorem amplectens sententiam,  
dicit, hoc Jure Gentium non omnium, sed meliorum &  
rectè esse prohibitum, cum non solum injuriam hic esse  
considerandam, sed ipsum quoque efferatæ libidinis a-  
ctum, qui neque ad securitatem neque ad pœnam perti-  
net, & proindè neque pacis, neque belli tempore impu-  
nitus esse debeat. Quod ut inter Christianos bellum  
gerentes non tantùm ut pars disciplinæ militaris, sed et-  
iam ut pars Juris Gentium scil. meliorum æquè observe-  
tur, laudabile & rationi naturali legique divinæ conve-  
niens est, ut colligi licet ex *Deut. c. 21. v. 10. & seqq.* Ideo-  
que militibus tale horrendum atque abominandum cri-  
men prohibendum est, cùm aliàs pudicitia sit res inæsti-  
mabilis imò irreparabilis, quæ neque ab ipso Deo (nisi  
per absolutam suam potestatem) restaurari potest, uti ex  
*Hieronymo probat Magnif. Dn. Richter. de adverb. signif.  
adverb. corruptè. p. m. 176.*

## CAPUT QUARTUM ET ULTIMUM De inventione.

Th. I.

**U**ltima nunc sequitur occupationis species, nimirùm  
inventio, & est rerum inanimatarum mobilium, quæ  
naturâ nullius sunt, occupatio, quæ ratione objecti ge-  
neralior & amplior, quàm venatio: Est enim occupatio  
rerum, quæ nullius sunt, non tantùm naturâ ut venatio,  
sed etiam earum rerum, quæ facto & tempore nullius  
sunt, uti Dd. loquuntur. Quod attinet (I.) illas, quæ na-  
turâ

D

turâ